

mationē aptus in nubibus ruptis vi commotionis violentæ accensus fulgura & tonitrua producit, eorumque flammis in materiam combustibilem incidentibus integras civitates, sylvas & agros incendit; ita spiritus ejusmodi calidus per loca sulphurea vel bituminosa perumpens, aërem nactus non tantum accenditur, sed etiam perdurante materia diutissime conservatur. At hoc posito, non sequitur propterea terris inclusum ejusmodi spiritum ardere & flammis incensum permanere posse, cum accensæ consumētiq; tali flammæ penitus repugnet inclusum esse.

Nec aliquis miretur calefacientem ejusmodi spirituosam materiam in terræ cavernis sine accensione calefacere, nec non extra easdem facillime accendi & combustibilia comburere posse: simile quid doctrina meteorologica subministrat, quando generationem ignis lambentis perpendimus; accidit enim ut ignis hominum vel brutorum & imprimis equorum capita lambere videatur, raris videlicet pinguibus atque calidis evaporationibus confertim erumpentibus & ob aeris frigidi contrariam qualitatem subito incensis. Quod cum rarius hominibus accidat portensi loco habitum fuit à veteribus, quemadmodum de Servio Tullio refert Livius: & Virgilius ex hoc ipso 2. *Æn.* *Ascanium* Regem futurum colligit dum inquit:

*Talia vociferans gemitu tectum omne replebat;
Cum subitum, dictuq; oritur mirabile monstrum:
Namque manus inter, mæstorumq; ora parentum
Ecce levis summo de vertice visus IULI
Fundere lumen apex: tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas & circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu: crinemq; flagrantem
Excutere & sanctos restinguere fontibus ignes.*

Simile